

a mutuataris, ut Mons servetur indemnis, ac ministris Montis sua compen-
setur opera, pariter certum est, eos esse innoxios, ex Conc. Gener. Latera-
nensi V. habito anno 1545. Sess. X. quod et acrem controversiam propterea
ortam diremit; cum enim pro his Montibus præter Theologos et Juriscon-
sultos plures starent Religiosi S. FRANCISCI, ii præsertim, quos ab *Observantia*
nominamus, acriter se opponebant plerique Religiosi S. DOMINICI, ac quidam
alii. At Concilium, commendato utriusque partis studio, alterius quidem par-
tis justitiæ zelo; alterius veritatis et pietatis amore, ut subveniretur pauperi-
bus, deinde declarat: *Montes Pietatis, in quibus pro eorum impensis et indemni-
tate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, et aliarum rerum ad
illarum conservationem pertinentium pro eorum indemnitate duntaxat ultra
sortem absque lucro eorundem Montium accipitur, neque speciem mali præ-
ferre; nec peccandi incentivum præstare: neque ullo pacto improbari; quin
imò meritorium esse, ac laudari et probari debere tale mutuum.*

Si vero *mixti* sint hoc sensu, ut Mons iis, a quibus mutuas pecunias
recipit, solvat annuos 4. aut 5. pro 100., ac simul ut Mons se ipsum inde-
mnem conservet, tantumdem exigat ab iis, qui sub pignore ex Monte mu-
tuum sumunt, ultra aliam summam pro expensis ministrorum et custodia
pignorum solvendam, adeo ut mutuataris, quibus videlicet mutuum præ-
statur ex Monte, præter summam capitalem, octo, novem, vel plures pro
centenario solvere annuatim debeant, ut in Montibus Belgicis, ac Italicis
quibusdam fit; varii hos Montes usurarios putarunt: a qua tamen labe eos
immunes pronunciant non solum Jurisconsulti ac Theologi Belgæ plerique
cum LESSIO, de COCQ. ZYRÆO, STEYAERTIO, ac aliis exteris communiter; sed
et Archiepiscopi et Episcopi in Belgio idcirco consulti. Ac quidem si ex parte
Montistarum concurrat titulus lucri cessantis; vel interveniat emptio cen-
sus super Monte fundati, etsi utrinque redimibilis, qualis communiter
intervenire solet, et præsumitur saltem in iis terris, in quibus constitutio
Pii V. *Cum onus* non est recepta, per se patet, nihil injustitiæ in his Mon-
tibus admitti; cum enim justi hi tituli sint alias, servata æqualitate, ut
partim dictum, partim dicetur, cur non in illis Montibus? Deinde aucta-
rium, quod exigitur, indemnitate maxime Montis, hujusque in bonum
egentium conservationem, ac augmentum respicit. Ac demum, ut HENRIC.
a S. IGNATIO in *Ethic. Amor. Tom. 2. Lib. 9. cap. 36. num. 419.* inquit,
*cum Montes illi publica erecti sint auctoritate, in commune bonum, Prin-
cipes, tanquam patres communitatis, habentesque dominium eminentiale in
bona subditorum, supplere censentur, si quid aliunde ad eorum justitiam
forte deesset, Montibusque concedere jus in auctarium, non titulo mutui, sed
communis boni, et contributionis in illud.*

ARTICULUS V.

DE COMMODATO, ET DEPOSITO.

§29. *Dico I.* Commodatum est contractus realis, nominatus, juris gen-
tium, quo res ad certum usum ita conceditur gratis alteri, ut finito usu
eamdem restituat in specie. §. 2. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig. L. 7. ff.
de Pact. L. 2. ff. de Reb. cred.*

Dicitur 1^o. quoad *certum usum*, quia proprietas manet penes commodan-
tem, secus ac in mutuo accidit. Inde et sequitur 1. quod, usu nondum
finito, revocari nequeat a commodante, L. 17. §. 3. ff. et L. 3. C. h. t.
Excipe tamen casum, quo dominus ex improviseo eventu eum in statum
deveniret, ut sine magno incommodo re sua carere non posset, *arg. L. 3. C.
Locat. 2.* quod commodatarius rem commodatam ad usus alios, citra fur-
tum usus, adhibere non possit. §. 6. 7. *Inst. de obl. quæ ex delict. L. 5. §. 8.
ff. Commod.*

2^o. *Gratis*; quo a locatione differt. Unde si pro commodato quid detur
mercedis loco, hoc in alium contractum degenerat, ac quidem in locatio-
nem conductionem, si id, quod datur, certum sit, et in pecunia numerata
consistens, §. 2. *Inst. quib. mod. re contr. oblig.* Si vero in re alia in contra-
ctum innominatum, L. 5. §. 12. ff. *Commod.* Merum tamen honorarium
commodati naturam non mutat.

3^o. Ut restituat *eandem in specie*. Hinc commodatum in iis rebus, quæ
usu absumuntur, nequit consistere; nisi forte rei fungibilis usus citra con-
sumptionem fuerit, ut cum commodatur pecunia ad ostentationem, vel
etiam oppignorandam alteri. L. 3. §. fin. ff. *Commod.*

Dices: Commodatum sic descriptum non differt a *precario*; nam et in
hoc res gratis ad usum conceditur restituenda in specie.

R. N. *Ass. Prob. D.* Conceditur eodem modo N. diverso C. *Precarium*
enim est conventio, dum quis precibus petenti rem gratis utendam concedit,
nullo utendi fine, vel modo præscripto, id est, quamdiu is, qui concessit,
patitur, L. 1. ff. *de Precar.* Unde res precario data revocabilis est ad libitum
dantis. Secus in commodato se habet. Porro precarium, L. 14. ff. h. t. nega-
tur esse contractus, id est, vere et perfecte talis; nihilominus eo *reductive*
pertinet; suo enim modo contractus reales imitari conatur; traditur enim
in eo res cum jure utendi, etsi ad libitum revocabili.

Utrum vero in commodato sit compensationi aliquando locus? non sine
commodo quæritur. Pro cuius decisione controversiæ

Observa: quæstionem non moveri de *specie* commodata, vel *corpore*; cer-
tum enim est, quod species commodata, vel corpus compensationem refugiat,
hoc est, commodatarius pro debito 100. aureorum, quos ipsi debet commo-
dans, nequit retinere e. g. equum, vel vas pretiosum commodantis, ejusdem
cum debito valoris, sed tenetur illud restituere in specie; a materia enim
compensationis expresse excipitur *corpus*, sive res in specie debita, L. 18.
ff. *de pignor. act.* Deinde compensatio est solutionis species, L. 4. ff. *qui pot.
in pign.* Sed aliud pro alio invito creditori solvi non potest, L. 2. §. 1 ff. *de
R. C.* Ac ratio est affectus subinde singularis, et quia domini sæpe spe-
cialiter interest, ut speciem sive corpus habeat. Unde in eo solo quæstio
vertitur, an *quantitas rei commodatæ* compensationem admittat? ut si
commodatarius rem commodatam sua deteriorando vel corrumpendo culpa
commodanti 100. aureorum intulerit damnum, et commodans commoda-
tario 100. aureos debeat, an, si tunc commodans agat actione commodati,
commodatarius possit opponere exceptionem compensationis? Negant HAR-
PRECHT. ANT. FABER aliique: affirmat eum ZOES. communior. Cum hac

§30. *Dico II.* Quantitas rei commodatæ compensationem admittit.

Ratio est 1^o. quod generalis sit regula: *Quantitatis ad quantitatem datur compensatio* juxta §. 39. *Inst. de AA L. 1. et seq. ff. de compens. L. 4. C. eod.* tunc apertius per *L. fin. c. eod.* ubi: *Compensationes ex omnibus actionibus ipso jure fieri sancimus, nulla differentia in rem, vel personam actionibus inter se observanda*; sed ab hac regula generali nusquam excipitur actio commodati, sed solum depositi: *Excepta actione depositi, §. 1. cit. L. fin. in fin.* ac §. 2. *L. fin. cit.* casus, quo quis rem alienam perperam occupavit. Ergo in commodato, dum agitur ad quantitatem, sive æstimationem rei commodatæ, locum invenit compensatio; modo; ut *L. ead. dicitur, causa, ex qua compensatur, liquida sit.*

2^o. Per *L. 18. §. fin. ff. Commodat.* commodatarius conventus actione directa commodati non solum potest agere actione contraria, e. g. pro resarciendis impensis in rem commodatam factis; sed et directe opponere compensationem: *Quod autem contrario judicio consequi quisque potest, id etiam recto, quo cum eo agitur, potest salvum habere jure pensionis*; igitur etiam in præsentis casu quantitas debita, ut 100. aureorum, compensari potest cum quantitate 100. aureorum, qua ratione rei commodatæ, sed deterioratæ et corruptæ, debetur.

§31. *Dico III.* Depositum, in specie sic dictum, est contractus realis, quo alicui res mobilis, non litigiosa ab uno vel pluribus; aut litigiosa quidem, sed simpliciter ab uno gratis custodienda traditur, ut eadem restituatur in specie, §. 3. *Inst. quid. mod. re contrah. obl. L. 6. et 17. ff. pr. ff. Deposit.* Estque duplex, *voluntarium*, quod fit libera voluntate contrahentium, nulla impellente necessitate; *necessarium*, quod ex necessitate fit, puta, ob imminens incendium, tumultum, etc. unde et *miserabile* vocatur.

Dixi vero 1^o. *in specie sic dictum*; nam etiam *sequestrium* depositi contractus est, non tamen sumpti specificæ, sed paulo latius. *Sequestrium* vero est, dum res litigiosa deponitur ea lege, ut pendente lite custodiatur, ea vero finita, victori restituatur, *L. 5. 6. ff. Deposit.* Est pariter aliud voluntarium, dum res utriusque partis litigantis libero consensu deponitur; aliud necessarium, dum id fit auctoritate judicis, parte licet invita; quod tamen regulariter prohibitum est *L. un. c. de prohib. sequestr.* quia hæc species executionis est; ab hac vero lis inchoari non debet, *L. 1. c. de Execut. rei judic.* nec quisquam privandus est commodo possessionis suæ, *L. 6. C. Unde vi.* Ut igitur id iudex possit, justa adsit causa, oportet, velut periculum dilapidationis.

2^o. Quo *alicui*; scilicet qui recipere depositum lege non prohibetur. Sic pupillus deponere quidem potest sine auctoritate tutoris, quia conditionem suam per hoc deteriorem non reddit, sed potius meliorem; non tamen sic depositum recipere cum obligatione potest, nisi quantum evaderet ditior, aut dolum committeret, *L. 1. §. 17. ff. Deposit.* Superioribus quoque Societatis Jesu depositum recipere vetitum est *Reg. 69. Præpos. Dom. Prof. et Reg. 64. Rector.*

3^o. Res *mobilis*; immobilis enim in depositum proprie dictum non venit, *L. 1. pr. ff. Depos.* sed si res mobilis custodienda detur alteri gratis, hic contractus potius naturam *mandati* induit, *L. 3. §. 4. ff. de Præscript. verb.* Ac ratio est, quod id solum proprie poni possit, quod de loco in locum mo-

veri potest. Secus est in sequestro, cum et res immobiles sequestrari soleant, *L. 31. C. quor. appell. non recip.* at sequestrium non est depositum specificæ sumptum, sed solum in sensu latiore; nam in sequestrem non sola custodia, sed plerumque simul possessio, *L. 17. ff. h. t.* quin administratio transit; neque res sequestrata quandocumque libet, ut in deposito specificæ sumpto se habet, repeti potest, sed lite finita, *L. 1. §. 22. ff. h. t.* Sed neque obstat, quod etiam res immobiles recipiant custodiam, *arg. L. 11. ff. de peric. et commod. rei vend.* aliisque; aut quod etiam interdictum *Unde vi* detur de rebus depositis, *L. 1. §. 33. ff. de vi et vi arm.* quod tamen alias non in mobilibus, sed tantum immobilibus locum habet, *L. 1. cit. §. 6.* Nam quoad primum: res immobiles non recipiunt custodiam *rei*; sed tantum *circa rem*, cum furto auferri non possint, §. 2. *Inst. de Usucap. L. 38. ff. eod.* igitur nec in se custodia indigent. In deposito autem tantum est *rei* custodia; solum enim promittit depositarius, se facturum, ut res integra restituatur; non custodia *circa rem*, quæ curam *facti* simul exigit, ut quis subinadeat, perlustret locum custodiendum, quod *mandatarii* est. Quoad alterum vero: datur hoc interdictum de rebus depositis, non directe, sed solum *per consequentiam*, quatenus fuerunt accessiones fundi.

4^o. Ut eadem restituatur *in specie*; ac quidem cum fructibus, *L. 1. §. 24. ff. h. t. L. 31. §. 10. ff. de Usur.* Item cum accessionibus, et usuris a tempore moræ, *L. 1. et 4. c. h. t.* Neque licet depositario reddere idem in genere; nisi forte aliter conventum, §. 3. *Inst. quib. mod. re contr. obl.* vel depositum in contractum alium degeneret. Præterea duo hinc alia fluunt:

Consectarium 1^{um}. Non potest a depositario retineri depositum, dum sibi solvantur expensæ in rem depositam factæ; hoc enim jus retinendi depositarius defendere deberet *exceptione doli*, quasi deponens repeteret depositum, eo quod nolit solvere expensas; sed hæc ipsa exceptio speciatim in deposito prohibita intelligitur *L. pen. c. Depos.* Minus vero retinere poterit, si deponentis creditor, donec sibi satisfactum fuerit, id petat a depositario.

Consectarium 2^{um}. Sine furto usus, nisi aliunde constet de voluntate deponentis, non licet depositario uti re deposita, *L. 29. pr. ff. Depos.* Unde si pecunia obsignata deponatur, vel, licet non obsignata, hac tamen lege, ut reddatur *in specie*, ea nullatenus uti licebit per *L. 29. cit. et L. 3. C. eod.* quia hoc casu non potest præsumi, quod deponens voluerit usum concedere. E contra aliud probabilius dicendum est, si pecunia deponatur *instar generis*, ut tantumdem restituatur, velut si pecunia deponatur non obsignata, ac sine addito, ut eadem reddatur *in specie*; modo depositarius tantumdem paratam habeat, ut quandocumque petenti domino reddere possit. LAYM. ZOES, contra alios.

Ac ratio est 1^o. quod *L. 24. 25. et 26. §. 1. ff. Depos.* pecuniæ hoc modo commodatæ, sive depositæ usus non obscure concedatur; et licet *cit. L. 23. et 26.* fiat usurarum mentio deponenti præstandarum; id tamen debet intelligi vel de usuris a tempore moræ, vel pro casu, quo de his conventum; quia juris explorati est cæterum: *Rationem usurarum haberi non facile dicendum est, L. 24. cit. 2^o.* Quia *L. 7. 8. C. Depos.* non reprehenditur depositarius, quod pecuniam depositam dederit mutuatam; sed solum obligatur ad restituendum tantumdem; ergo. Estque *a priori ratio*; quod in hoc casu depositum notabiliter alteretur, nullum egrediens *depositi notissimos terminos, L. 24. ead.*

multumque participet de mutuo; ideoque depositum *irregularē* sit. Quæ proinde ex *LL.* contra opponi possent, quibus vetatur usus depositi, eæ de deposito *regulari* procedunt, ut *L. 29. ff. Depos.*

332. *Obj. cont. Concl. II. 1^o. §. 2. Inst. quib. mod. re contrah. obl.* commodatarius de re ipsa commodanti restituenda tenetur; sed hoc falsum esset, si commodatarius loco rei commodatæ obtendere posset compensationem debiti alterius.

2^o. Per *L. fin. c. de Commodat. Prætextu debiti restitutio commodati non probabiliter recusatur*, id est, non juste, nec legitime recusatur restitutio ex causa debiti; ergo et hic.

3^o. In deposito non admittitur compensatio ob exuberantem in eodem bonam fidem, *L. fin. c. de Compens.* Cur ergo non id ipsum dicatur in commodato, utpote in quo commodatarius ad majorem fidem obligatus, ac majorem committeret perfidiam negando rei commodatæ restitutionem, cum ex deposito depositarius utilitatem non sentiat; in commodato vero in commodatarium transeat omnis utilitas.

Ad 1^{um}. R. D. De re ipsa restituenda tenetur in commodato ordinario, si commodatum adhuc extet in natura, seu specie *C.* in casibus diversis *N.* In §. 2. *cit.* loquitur Imperator primo de commodato ordinario, in quo, si res extet in natura seu specie, haud dubie in se ipsa restitui debet, et non ejus æstimatio. Deinde progreditur ad casum, quo res apud commodatarium, quocumque modo, periit; vultque tunc non rem in se, quod esset impossibile, sed ejus æstimationem seu quantitatem restitui; atque hic sistit Imperator. An vero in casu, quo quantitas, seu æstimatio præstanda, opponi possit exceptio compensationis, nullo verbo decidit. Unde §. 2. *cit.* huc plane impertinens est.

Si dicas: Si res petatur existens in specie, non debet, ex dictis, admitti ejus compensatio; ergo neque si petatur res in æstimatione; quia pretium succedit in locum rei.

R. C. Ant. N. Cons. Ratio diversitatis est diversa juris dispositio hæcenus allata.

Ad prob. R. Id verum esse in hæreditate, quæ est honorum universitas augmenti et decrementi capax, ut dictum num. 205. non in aliis.

Ad 2^{um}. L. cit. procedit de debito *non liquido*, quod sub prætextu debiti non liquidi, ut notat ad hanc *L. GOTHOFREDUS*, non habeat locum compensatio, ne ea *L.* pugnet cum *L. fin. c. de Compens.* triti vero juris est, liquidum cum illiquido non compensari. Respondent etiam alii in *L. fin. cit.* agi ad litteram de commodato, quod restituendum est in specie; favet huic responsioni *Glossa.* Quod *si dicas:* jam ex antiquiore jure notum esse, quod species debeat restitui; ac proinde non fuisse necesse, ut propterea consulerentur Imperatores, respondent: Imperatores sæpe alias ad dubia proposita respondere solitos juxta anteriora jura, cur ergo id ipsum hic non admittatur?

Ad 3^{um}. R. N. quod commodatarius ad majorem obligetur fidem, quam depositarius; sed longe major fides, vel exuberantia bonæ fidei in deposito, quam commodato requiritur; quia res deposita totaliter et unice depositarii fidei commissa est; et depositi finis præcipuus est, ut res deposita custodia-

tur, ac deponenti pro suo libitu hanc quandocumque repetenti restituatur; *L. Depositum. ff. Depos.* At finis primarius in commodato est, ut re commodata commodatarius utatur, eamque in consequentiam solum restituat.

ARTICULUS VI.

DE CONTRACTU PIGNORIS: QUIDQUE CENSENDUM DE PACTO ANTICHRETIKO? LEGIS COMMISSORIE?

Pignus subin *objective* sumitur, pro ipsa scilicet re, quæ in pignus data, atque ita pignus passim vulgus accipit. Aliquando pro ipso *jure reali*, quod ex contractu pignoris creditori in re oppignorata constituitur, sicque de pignore agitur *t. t. ff. et C. qui pot. in pign.* Hic vero de pignore ut contractu potissimum agitur, unde

333. *Dico I.* Pignus est contractus realis, bonæ fidei, quo creditori res traditur in securitatem crediti, ut soluto debito eadem reddatur in specie. §. *ult. Inst. quib. mod. re contrah. obl.*

Dicitur 1^o. quo creditori *res traditur*; est igitur contractus realis, qui rei traditionem exigit. Tradi vero in pignus potest res quælibet, quæ securum præstare creditorem potest, *L. 9. ff. de pignor. act.* corporalis et incorporalis, mobilis ac immobilis, propria atque aliena, modo in hac accedat consensus domini et ratihabitio, *L. 20. pr. de pign. act.* De prioribus item constat, *L. 14. ff. de Pign. L. 4. C. quæ res pign. dar.* Tradere autem in pignus potest, qui alienare; oppignoratio enim alienationis species est, *c. nulli. §. de reb. Eccl. alien. vel non. Extrav. Ambitiosæ.* Deinde per hæc: *res traditur*, innuitur differentia pignus inter et hypothecam; nam, ut ait Imperator §. 7. *Inst. de AA. pignoris appellatione, eam proprie rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit. At eam, quæ sine traditione nuda conventionione tenetur, proprie hypothecæ appellatione contineri dicimus.* Unde simul intelligitur ratione objecti non differre hypothecam et pignus; licet enim plerumque pignus in mobilibus, hypotheca in immobilibus constitui soleat; potest tamen hæc etiam in mobilibus, pignus in immobilibus consistere.

Sed et illud inde colligitur, quod *hypotheca* sub pacti legitimi nomine potius veniat, quam contractus; appellatur etiam pignus, *L. 17. ff. de Pact.* de quo *jure honorario nascitur actio*; quantum enim actionem hypothecariam attinet, nihil interest inter pignus et hypothecam, §. 7. *Inst. de AA.* Indequè est, quod subinde ambo ab auctoribus sumantur promiscue; ac definitione communi describantur: conventio, qua res aliqua creditori obligatur in securitatem solutionis, ut inde ei satisfiat, si aliter satisfactum non sit. Quotuplex hypotheca sit a modo eam constituendi, *vid. num. 296.* Similiter et *pignus* inde varium est: aliud *conventionale*, quod solo consensu partium constituitur; aliud *prætorium*, Prætoris sive judicis edicto constitutum ante sententiam definitivam per missionem in possessionem debitoris contumacis, quæ tamen possessio per immissionem potius est mera rerum detentio tanquam pignoris Prætorii; aliud *judiciale*, quod

Prætoris decreto constituitur per immissionem in bona debitoris jam condemnati, adeoque in executionem jam latæ sententiæ, ut ex illis bonis debitori immisso fiat satis; quæ vero possessio similis est illi, quam quis acquirit traditione pignoris conventionalis, *L. 26. ff. de Pign. quæ, qualis sit, nunc patebit.*

2º. In securitatem crediti. Igitur 1. nec rei oppignoratæ dominium ad creditorem transit, nec possessio civilis; sed custodia: 2. nec regulariter usus, de quo mox plura. Constant hæc ex *L. 38. §. 7. ff. de O. et A. L. 33. ff. h. t. §. 6. Inst. de obl. quæ ex delict.*

Porro ex data notione pignoris varia et diversa obligatio tam debitoris, quam creditoris universim intelligitur.

Ac quidem debitor obligatur 1º. ut pignus traditum non possit repetere, nisi facta creditori solutione debiti, utpote in cujus securitatem datum est pignus. 2º. Tenetur ad solvendas expensas creditori, si quas fecit in conservando pignore, tam necessarias, quam utiles, *L. 8. et 25. ff. de pignor. act. qua tamen L. 25. ead. adstringitur creditor, ut ita moderatus sit, ut non cogat debitorem vel pignus vendere, vel sibi relinquere.*

E contra creditor obligatur 1º. ad diligentem pignoris custodiam, ita ut teneatur præstare culpam etiam levem, si ex hac aut perierit pignus, aut deterioratum sit, §. 4. *Inst. quib. mod. re contr. obl.* 2º. Debito toto soluto tenetur pignus illico reddere; nec potest recusare solutionem sibi oblatam; quia pignus non datur absolute; sed tantum in securitatem debiti. Imo cum pignore hujus etiam fructus, meliorationes, accessiones, *L. 16. et 21. ff. h. t.* Proceditque hoc non tantum de fructibus perceptis a creditore, sed etiam iis, quos percipere potuisset, et per negligentiam omisit percipere, *L. 3. c. de pign. act.* Ac ratio est, tum quia res fructificat domino suo; dominus vero proprietarius pignoris est debitor; tum quia contractus pignoris celebratus est tam in bonum debitoris, quam creditoris; in hujusmodi vero contractibus, tenetur contrahens ex culpa levi, si hac alter contrahens damnificatus sit, ut dictum *cap. præc.* Dixi tamen: debito toto soluto; nam si totum solutum non fuerit, potest creditor retinere pignus; quia jus pignoris indivisum est pro debito toto, *L. 6. C. de distract. pign.* Demum 3º. per se loquendo non potest uti pignore, sine furto usus, §. 6. *Inst. de obl. quæ ex del. L. 54. ff. de furt.* ac universim, si non accedat alius titulus justus, non potest utilitatem creditor capere ex pignore, ut pluribus patet ex *Concl. seq. Dixi: per se loquendo;* potest enim uti, si usus in rei oppignoratæ bonum sit, commodumve debitoris; sic bene elocantur prædia oppignorata, quia cultura redduntur meliora, *L. 23. ff. h. t.*

534. *Dico II.* Pactum antichreseos (quò scilicet debitorem inter et creditorem convenitur, ut, donec a debitore solvatur pecunia credita, creditor ex re oppignorata interim percipiat fructus in vicem usurarum) adjectum contractui pignoris illicitum est.

Est communis Theologorum, Canonistarum, ac etiam plurimorum Civilistarum præsertim Catholicorum contra alios, præsertim e protestantium numero Doctorum. Ac ratio est aperta; usura enim est omne lucrum, quod capitur ultra sortem, non accedente alio titulo justo, ut lucri cessantis, damni emergentis, et similium, de quibus dictum supra de mutuo:

atqui vi pacti antichreseos caperetur lucrum supra sortem; nec, ut supponimus, accedit alius titulus justus; ergo. Deinde fructus jure naturali spectant ad dominum rei frugiferæ, nisi justo titulo transferantur in creditorem; atqui in casu pignoris nullo justo titulo transferuntur in creditorem; ergo non ad hunc sed ad dominum pertinent; ergo injustitiam committit creditor eos exigendo tanquam sibi debitos, et usuram stricte dictam; quia exigeret vi mutui. Nec dicas: exigeret vi pignoris; nam natura pignoris in hoc sita est, ut detur præcise in securitatem debiti; quidquid igitur plus exigitur, injustum et usurarium est, nec titulo alio, quam mutui exigitur. Unde et merito pactum hoc reprobatur a jure canonico ceu usurarium, *c. 1. et 2. de Usur.* ubi in priore declarat ALEXANDER III. fructus pignoris sine usura non accedere lucro creditoris; in altero INNOCENTIUS III. fructus ex pignore perceptos esse in sortem computandos; sed et jure codicis; nam *L. 1. 2. 3. C. de pign. act.* sat clare constituunt Imperatores, ut fructus pignoris in sortem imputentur.

Non recte etiam fit pactum legis commissoriae, quo videlicet debitorem inter ac creditorem convenit, ut, si debitor intra statutum tempus non solvat creditum, pignus pro eo datum committatur, id est, totum transeat in dominium creditoris; reprobatur enim utroque jure; canonico, *c. 7. de Pignorib.;* civili, *L. 3. C. de Pact. pign. et de Leg. commiss. rescind.* Ac ratio est; quia, cum ordinarie pignora pluris valeant, quam sors credita, merito de injustitia, ac pravitare usuraria suspectum est.

535. *Obj. I.* Pactum antichreseos approbatum est utroque jure; 1º. Jure civili, *L. 11. ff. de Pignor. et Hypoth. L. 14. et 17. C. de Usur.* 2º. Jure canonico; nam *c. 1. de Usur.* decernit ALEXANDER III. quod possit clericus ex re sibi a laico pro mutuo obligata licite percipere fructus et retinere, nec debeat eos conferre in extenuationem sortis; ergo.

Ad 1ºm. R. N. A. Vel leges civiles, ut concordent cum *L. 1. 2. 3. de pign. act.* esse benigne explicandas de antichresi minus stricte dicta, in qua fructus percipiuntur ex pignore in vicem usurarum compensatarum, interveniente alio titulo justo; aut quia forte accedit contractui pignoris alius nominatus, ut emptio, aut innominatus, ut paulo post dicitur; vel dicendum, leges illas a jure canonico correctas esse.

Ad 2ºm. R. Explico: decernit, quod hoc possit clericus ex re aliena N. ex re sua C. Casus erat iste: alius rem clerici injuste possederat, deinde eandem ei dederat in pignus, ut inde fructus perciperet; respondit Pontifex, posse eum juste fructus percipere; et merito, quia tali casu per viam justæ compensationis redimebat, quod re vera ad ipsum pertinebat.

Inst. 1. INNOCENTIUS III. c. 1. de Feud. et ALEXANDER III. c. 8. de usur. permittunt domino directo, ut, si ei a vasallo feudum detur in pignus, ex hoc omnes fructus percipiat, nequaquam in sortem computandos; ergo.

R. D. Id permittunt præcise vi pignoris N. Quia id exigit natura feudi; ac proin solum declarant, quid ex natura feudi fieri possit C. Est enim hæc natura feudi proprie talis, ut, eo penes dominum directum existente, vasallus sit immunis a præstandis obsequiis; simul autem careat fructibus; ac vicissim dominus directus jus habeat percipiendi utilitatem, licet dominium directum maneat penes vasallum; inconveniens enim videtur, ut, re

feudali apud dominum existente, ipse non ut dominus, sed ut extraneus quilibet rem administret, et fructuum rationem suo vasallo teneatur reddere. Fructus igitur percipit dominus non præcise in compensationem remissi vasallo obsequii, sed ex natura contractus feudalis, quo se ita dominus et vasallus obligant. Merito tamen ad hoc exiguntur conditiones sequentes: 1^o. Ut feudum illud non sit emptum pretio, nec in compensationem præcedentium meritorum, sed gratis concessum. 2^o. Ut dominus directus non percipiat fructus ex meliorationibus et accessionibus aliis industria vasalli factis. 3^o. Ut interea dominus a vasallo non exigat debitum obsequium.

Nec obstat, quod, si dominus directus pro tempore, quo feudum possidet titulo pignoris, habeat dominium directum et utile feudi, sequatur, feudum non posse esse pignus; quia hoc non potest constitui in re propria, cujus quis dominium directum et utile habet, adeoque eo tempore desinet esse vasallus, qui feudum in pignus dedit; nam

R. Dominium utile hoc casu solum in habitu manere penes vasallum, qui, soluto debito, potest pignus redimere, ex eoque fructus, ut ante, percipere; unde feudum potest adhuc habere rationem pignoris, quatenus dominus directus illud possidet cum obligatione illud restituendi vasallo, quam primum illud reluerit solutione debiti.

Inst. 2. In c. 16. de usur. permittitur genero fructus percipere ex pignore dato a socero pro dote promissa non tradita, quin hos debeat gener computare in sortem dotis; ergo.

R. D. A. Permittitur hoc ex titulo præcise pignoris N. ex alio C. Maritus hoc casu capit fructus pignoris loco fructuum dotis; cum enim ex fructibus dotis alere debeat uxorem, ac ferre matrimonii onera, dotem autem ipsam non habeat, jure suo fructus pignoris capit loco fructuum dotis: et qui pignus dedit loco dotis, etiam fructus pignoris loco fructuum dotis surrogasse censetur. Proceditque hoc, licet fructus ex pignore dotali etiam superent fructus ex dote percipiendos; sicut enim fructus dotis, destinati pro ferendis matrimonii oneribus, licite percipiuntur omnes juxta communem auctorum, quamvis longe excedant ferenda onera; ita etiam fructus pignoris dotalis percipi possunt omnes absque scrupulosa computatione fructuum, quos ferret ipsa dos. A dictis tamen excipe casum, quo is, qui dotem promisit, quam nondum tradidit, ejus interim fructus ipse præstaret; tunc enim cessaret ratio fructus capiendi ex pignore.

Inst. 3. In Germania Principes creditori non raro in pignus dant integrum castrum cum jure percipiendi omnes ex eo fructus, donec reluatur; ergo.

R. Hic contractus in se est emptio census annui ex castro cum pacto redimendi; ubi pecunia credita habet rationem pretii, et jus percipiendi fructus rationem mercis; emptioni vero hujus census adjicitur contractus pignoris, tum pro ipsius census annui solutione, tum etiam pro sortis ipsius principalis securitate. Idem responde ad consuetudinem Germaniæ, juxta quam annui 5. pro 100. capiuntur ex pignore; nisi forte dicere velis, hanc consuetudinem esse auctoritatis publicæ, sicut dictum de mutuo.

356. Obj. II. Si creditor emeret pignus pro ea summa, quam vult dare mutuam, cum pacto, ut, quandocumque libitum debitori, possit eodem pretio redimere pignus, validum esset pactum, et creditor haberet rem, ex

eaque fructus perciperet, L. 2. C. de Pact. ; ergo idem licebit per pactum antichreseos, cum utriusque sit idem effectus; nec una via debeat permitti, quod alia prohibetur, R. 84. J. in 6. Confirm. Imo licet hic contractus innominatus, facio, ut facias; do, ut des; sive concedo tibi usum prædii mei, ut mihi concedas usum pecuniæ tuæ; ergo etiam antichresis.

R. C. Ant. Si res bona fide et sincere geratur; et N. Cons. Nam disparitas est; si enim creditor pignus emat, deponitur qualitas creditoris, mutui, et pignoris, ac emptor fit dominus, fructusque lucratur jure dominii e re sua; sed et idcirco re empta casu pereunte, perit emptori, nec potest porro repetere pretium; quia generaliter res suo domino perit, t. t. ff. de peric. et comm. rei vend. At in pacto antichreseos creditor non fit dominus pignoris; igitur fructus capit ex re aliena; ac pignore sine sua culpa pereunte, potest repetere pecuniam creditam.

Ad Conf. R. C. Ant. Si res etiam geratur bona fide, serveturque æqualitas, ut neutri parti gravis sit, ac ratione periculi differat a mutuo, nimirum ut periculum pecuniæ, cujus solus usus concessus est, non sit penes usuarium, vel commodatarium, sed penes dantem, utpote qui manet dominus. Contractus enim innominatus, cum certam legem non habeat, totus ex præscriptis partium verbis dependet, ac regulatur L. 3. et seqq. ff. de præscript. verb. potestque assumere naturam contractus nominati, L. 5. ff. de præscr. verb.

Obj. III. Pactum legis commissoriæ approbati videtur L. 16. §. fin. ff. de pignor. et Hypoth. ; ergo. Conf. 1. In emptione, venditione licet hoc pactum addere, ita ut, si emptor statuto tempore non solverit pretium, res inempta sit, L. 2. ff. de Leg. Commiss. Conf. 2. Per varias leges potest, qui rerum suarum administrationem habet, de iis pacisci, et paciscendo conditionem suam reddere deteriore; ergo.

R. D. A. Approbatur simpliciter N. approbatur hoc sensu, ut, si debito tempore non præstetur solutio, pignus sit venditum creditori, ita tamen, ut, quod ex venditione pignoris juste æstimati superest ad extinctionem debiti, restituatur debitori C. Hac vero ratione nulla committitur iniquitas.

Ad Conf. 1^{am}. R. Disparitas est: quia per hoc pactum contractui emptionis et venditionis adjectum emptor non patitur damnum; quippe qui hoc casu pretium; nec venditor, qui rem retinet. At in pignore læderetur debitor, utpote qui vi pacti hujus rem omnino amitteret, quæ ordinarie valore debitum superare solet. Quod si valore non superaret debitum, equidem contra jus naturale non peccaretur; ageretur tamen contra leges humanas, quæ prohibent hoc pactum ob periculum usurariæ pravitatis, quæ alias ut plurimum committeretur.

Ad Conf. 2^{am}. R. 1. D. Antec. Potest pacisci, vel inire pacta quæcumque N. si tamen juri sint consona C.

R. 2^o. N. Cons. Licet enim non peccet, qui inopia pressus, ut mutuas pecunias accipiat, hoc pactum inire; peccat tamen creditor, sicut dictum de usuris vi mutui exactis.